



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

660. An, & qualiter non servatâ formâ in translatione pensionis ea extinguatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

pluribus circa idem, sed bene difforme, uni de præfente, alteri de futuro; vel eodem tempore, diversis tamen respectibus compatilibus. Nam hæc ratio impossibilitatis habendi jus in solidum circa idem locum non habet in pensionibus, dum imprimis neque reservatarius fructuum, neque pensionarius habeat dominium fructuum, super quibus hoc onus impositum; sed illud in solidum fit penes titularem, habentem onus ex eorum valore pensionem alteri præstandi, neque etiam utrumque illud onus sit contemporaneum seu simultaneum, ita ut eodem tempore solvenda sit pensio, & fructus ad alium, nempe reservatarium illum, spectent: Sed detur hic distributio compatibilis, etsi enim fructus sint subjectum pensionis, tale tamen sunt in genere, & non in specie, ita ut non præcisè fructus illius anni sint subjectum illius pensionis; quia aliàs pro pensionibus decursis non competeret actio supra fructibus futuris, & contra successorem. Ac proinde eodem modo, quo possidens fundum capacem, cujus ususfructus ad alium spectat, vel gravatum censu vitalitio annuo, non prohibetur imponere super eo ex nunc validè, & perfectè novum censum sortiturum effectum ex tempore, quo cessante usufructu, vel censu illo vitalitio, fundus remanebit capax, & ex ejus fructibus alter census solvi poterit; ita etiam constitui potest præter reservatarium omnium fructuum alius pensionarius, vel duo simul pensionarii super fructibus ejusdem beneficii.

Questio 659. An, & qualiter extinguatur pensio, si non solvantur termini in vita titularis?

Respondeo: pensio voluntaria, seu de consensu ex decreto in ea apponi solito ad obviandum fraudibus, nisi verè, & effectivè, non autem simulate, vel per solam confessionem titularis, qui pensioni consensit, soluta quò ad omnes terminos, omnino corrumpit. Card. de Luc. de pens. d. 5. nu. 4. Barbos. juris Eccles. l. 3. c. 11. n. 101. juxta dicta aliquoties in antecedentibus.

Questio 660. An, & qualiter non servata forma in translatione pensionis, ea extinguatur?

Respondeo: Dum forma ordine in literis facultatis transferendi præscripta non servatur, v. g. non præcedit ejus extinctio vel cassatio &c. ipsa translatio ipso jure est nulla. Corrad. pr. benef. l. 5. c. 6. nu. 5. 6. & 7. Lott. l. 1. q. 40. nu. 42. nihilque actum censetur: & dum hac ratione, nempe ratione non observantia formæ, vel etiam aliunde pensio nova, seu secunda non assignatur validè, nec cassatio tenet; ac proinde quoties in translatione datur vel præscribitur modus, eo non adimpleto, pensio prima non potest dici extincta, nec à transferente jus abdicatum. Corrad. loc. cit. Neque dici potest, pensionem facta ex parte transferentis cassatione extingui, & dein non subsequatà legitimè reservatione eam reviviscere; cum pensio semel extincta, ut Corrad. loc. cit. nu. 6. dicens esse communem regulam, non reviviscat. Quemadmodum etiam, ut idem Corrad. decisum ait à Rota decis. 446. n. 1. divers. illud, quòd jus non abdicetur à resignante, nisi irrevocabiliter beneficium acquiratur resignatario, procedit pari modo in translatione pensionis. Atque ita datà nullitate unius ex his actibus correspectivis, corrumpit & alter.

An verdin penam non servata in hac translatione forma extinguatur, nullibi expressum reperio.

Questio 661. An, & qualiter extinguatur pensio ex persona reservatarii fiduciarii, item ex persona Commodatarii, dum nimirum pensio reservata in caput unius ad commoditatem alterius; de qua fiduciaria reservatione dictum supra.

Respondeo ad primum primò: Per consensum hujusmodi Confidentiarium in præjudicium commodatarii pensio cassari non potest, cum substantia pensionis verè in Commodatario magis residere videatur, quàm in tali reservatario, qui fiduciariè solum nomen ita accommodatè dicitur. Card. de Luc. de pens. d. 68. n. 19. Ita expressè tenet Lott. l. 1. q. 42. n. 15. ubi sic ait: iste fiduciarius per constitutionem talis Procuratoris irrevocabilem transtulit ipsam commoditatem in alium, utique tota in eundem translata censetur utilitas per hujusmodi mandatam, & actiones directæ remanent penes fiduciarium, hinc prorsus inefficaces, & inutiles, ac proinde non potest tali cassationi validè consentire. Sic decidit Rota in Valent. pens. 1593. 3. Nov. (quam decisionem recitat Garc. p. 1. c. 5. nu. 268.) his verbis: etiam si jus pensionis sit radicatum penes reservatarium, cum commodum ad alium pertineat, sine illius consensu transferri non potest; quia facultas transferendi fuit data contemplatione illius, & ad ejus commodum. Contrarium tamen tenet Garcias loc. cit. n. 269. hæc expressis: circa dictam Rotæ decisionem adverte, verius videri, quòd reservatarius, in cujus persona fuit pensio reservata, possit validè eam transferre, & cassationi consentire, etiam sine consensu ejus, in cujus commodum est reservata; & quòd illa sit ad commodum alterius, id solum faciet, quòd ille (intellige reservatarius fiduciarius) teneatur ad interesse, si malè versatus est. Cum quo revera sentire videtur Card. de Luc. cit. d. 68. nu. 29. ubi: quòd, sicuti post cessionem commoditatis factam alteri pensionarius tacitè, v. g. contrahendo matrimonium, potest facere pensionem extingui, ita etiam id possit per expressum actum, remanente Cessionario solâ actione contra illum, quanti ejus interest, non factam illam extinctionem.

2. Respondeo ad primum secundò: Neque per illius mortem naturalem, aut civilem extinguitur pensio. Card. de Luc. loc. cit. & d. 73. n. 2. Neque in hoc est difficultas, dum mors talis fiduciarii contingit, sede Papali plenâ; cum in eo casu imminente morte fieri soleat generalis translatio in alium fiduciarium successorem; si enim in pensionibus non fiduciarii Papa concedit passim ipsi privatis pensionariis indulgentiam transferendi, etiam in articulo mortis, juxta dicta supra, multò magis, & absque dubio id rectè facit idem directè, ac generaliter in hujusmodi pensionibus, quæ reipso ad alterius, non ipsius fiduciarii commodum sunt reservata. Card. de Luc. cit. n. 2.

3. Respondeo ad primum tertio: Sed neque extinguitur (intellige omnino, seu ita, ut non reviviscat, vel potius, ut alia ei omnino similis de novo creetur, ut solet in aliis ordinariis translationibus pensionis) pensio morte talis fiduciarii, ubi mors ea contingit sede Papali vacante; vel enim verum est, quòd dici refert idem Card. cit. d. 73. num. 17. (quam-